



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 27. Lublinensis Calvinistarum Synodus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

eadem severitate, qua Servetus, etiam ipsi plecterentur, atque extremo supplicio e medio tollerentur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1566.

§. XXVII.

*Lublinensis Calvinistarum Synodus.*

Sub idem tempus Lutherani, & Calvinistæ obtenta a Lublinsibus facultate ibidem Synodum celebrabant, ad quam illi tanta frequentia confluerant, ut eorum factio numero, & potentia Antitrinitariis prævaleret, ideoque hi nequidem huic conventui interesse auderent, sed rupta omni mora urbe excedere cogentur, ubi ad majorem adhuc crudelitatem res devenisset, nisi Nicolaus Senieskius ad Comitia ablegatus Regem rogasset, ut comitiorum libertatem tueri, ac præpedire vellet, ne ejus subditi vexarentur: unde Rex complacendi studio incitatus non modo ullam Antitrinitariis, qui passim Pinczovienses vocabantur, vim inferri vetuit, sed etiam eos suo patrocinio honorare dignatus est: hi tamen comitia haud ultra, aut saltem nonnisi raro admodum, atque exiguo numero accedere consultum censebant, ne eminentis Reformatis suspicionem ingererent, vel sibi novos illorum insultus accerferent. Verum nec hæc circumspectio ipsis profuit; quippe existimati

*Lub. de  
convent.  
hæret.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1566.

hi reformati exinde potentia crescentes hunc conventum pro suo arbitrio moderabantur, atque contra novos hosce Arianos, quotquot poterant, accusationum capita conglomerabant, tantaque verborum vehementia apud illos Proceres, qui eisdem alyli opportunitatem concesserunt, instabant, ut eorum plurimi turpiter ejecti, atque ad suos remissi fuerint.

§. XXVIII.  
*Lælii Socini Historia.*

*Sandius*  
*Bibl Anti-*  
*trin. p. 18.*  
*Zachius*  
*Præfat. lib.*  
*de tribus*  
*Eloim.*

Ad hunc annum salutis nostræ millesimum quingentesimum sexagesimum sextum revocatur Epocha opinionis Pinczoviensibus tantopere familiaris, quæ etiam postmodum a Fausto Socino Sectæ Socinianæ Antesignano per novam formam ab ipso inventam, novumque Systema ceteris præscriptum dilucidata fuit. Hic idem Faustus ex antiquissimo, & maxime conspicuo Senensis Urbis genere in Etruria ortus, ac paterna ex linea nepos erat celebris illius Socini, qui Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quinto primam lucem aspexit, ac primo sese jurisprudentiæ studio dicavit, cum vero intellectus sui amplitudinem hoc labore nullatenus fatiari crederet, sacris literis operam navare cæpit, ac linguæ

Græcæ